Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 441
Quelle:
Copyright:



*Quod nobis omnibus prestare dignetur dominus ihesus christus*
*Qui cum patre et spiritu sancto est in perpetuum benedictus.*
*Amen.*

*Explicit liber speculum humane sal.* De Autore, quod adfirmem, non habeo. Ordinis Praedicatorum fuisse suadet *Caput* XLIV. *de Tristitiis B. V.* quae Fratri cuidam hujus ordinis revelatae fuisse dicuntur; unde et depictus ibi praeit.

## CLVIII. VI B 4

57 Codex membraneus lat. Sec. ut videtur XIV. Folior. nunc 9. f. pictus potius, quam scriptus continet quavis pagina *Iconismos* duos coloribus illustratos exhibentes in medio Mysterium quoddam N. T. circumdatum undique figuris ex V. T. depromtis Mysterium illud adumbrantibus, et Prophetarum oraculis illud praefignantibus. Frons cujusvis Iconismi loco biblico et versibus tribus leoninis figuras explicantibus insignita est. Damus διαγνωσιν *Iconismi* I. *fol.* 1. p. 2. Ad dextram: *Legitur in Genesi. Quod dominus dixit serpenti. Super pectus tuum gradieris. Et postea ibidem legitur de serpente et muliere. Ipsa conteret caput tuum. et tu insidiaberis calcaneo eius. Nam istud in annunciacione beate Virginis ad impletum est.* Ad sinistram: *Legitur in libro Judicum. quod Gedeon petiuit signum victorie. in uellere per pluuiam irrigandum que figurabat uirginem gloriosam sine corruptione corporis impregnandam ex spiritus sancti infusione.* Subjecti tres hi versus:

*Vipera uim patitur de inpaciente puella.*
*Virgo salutatur innupta manens grauidatur.*
*Rore madet uellus remanet tamen arida tellus.*

Infra ad dextram Virgo cum serpente, ad sinistram Gedeon cum angelo. In medio Angelus salutans Virginem. Circa sunt Prophetae, Isaias cum lemmate: *Ecce Virgo concipiet et pariet.* David: *Descendet sicut pluuia in uellus.* Ezechiel: *Porta clausa erit et non aperietur.* Jeremias: *Nouum fecit dominus super terram.* Ita et reliqui Iconismi procedunt numero XXXIV. suntque: *Nativitas Christi. Epyphania domini. Purificacio. Fuga cristi in egyptum. Venit in egyptum. Innocentes occiduntur. Reuersio de egypto. baptismus domini. Temptacio dyaboli. Transfiguracio domini. Inuitacio Zymonis. Resuscitacio Lazari. In die palmarum. Expulsio vendentium de templo. Cena ultima. Cayphas Judas.* (Semper nigricomus) *Judas vendidit cristum. Judas osculatur cristum. Hic presentatur pylato. Coronacio domini. Portacio crucis. Passio domini.*